

menta acquisitæ notitiæ data opera & apparatu undique conquisito vellicat, fit illa thesis aliquo modo inevidens & difficilis probatu; ut sol nube interceptus, non per se, sed per accidens, non in se, sed in toto illo disputationum Anti-athearum complexu & cum annexis suis; cum alias satis clara sit, tam evidentia juris, quam facti. Etsi enim divina natura atque attributa comprehendi vel adæquate pernosci non possint, possunt tamen una cum existentia Dei apprehendi, vel certo cognosci. Quæ si observentur, facile fuerit ad omnia dubia Bæliana respondere.

V. Porro, etsi concedamus, modeste *disquiri posse de argumentis, quæ pro Dei existentia offeruntur*, neutiquam tamen largimur Bælio, quod *T. III. Lex. p. 3049. postulat, maxime liberam esse repudiationem & criticam censuram eorum, si modo aliunde probetur Deum dari*. Cautissime profecto hic incedendum est, & facilius peccatur in foro zeli pro Dei gloria defectu quam excessu. Neutiquam igitur cum Bælio Bielis & Zabarellæ Scholasticas tricas contra ista argumenta approbamus, longeque omnium minime Herminerii Sorbonistæ nuperam crisin, qui, repudiatis reliquis, unum illud argumentum, ab harmonia mundi quod petitur, contra Atheos censuit custodiendum.

VI. Nec procul adeo ab Atheismo abest illorum opinio, qui *nullum Dei conceptum*, ne quidem apprehendentem dari putant, imo *ne quidem percipi Deum posse sentiunt*, quo tendit Hobbesius

befius